

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

- 1 Ego medius fidius non existimo tam omnes deos aversos esse a salute populi Romani, ut
2 Octavius orandus sit pro salute cuiusquam civis, non dicam pro liberatoribus orbis
3 terrarum; iuvat enim magnifice loqui et certe decet adversus ignorantes, quid pro
4 quoque
5 timendum aut a quoque petendum sit. hoc tu, Cicero, posse fateris Octavium et illi
6 amicus es? aut, si me carum habes, vis Romae videri, cum, ut ibi esse possem,
7 commendandus puero illi fuerim? cui quid agis gratias, si, ut nos salvos esse velit et
8 patiatur, rogandum putas? an hoc pro beneficio habendum est, quod se quam Antonium
9 esse maluerit, a quo ista petenda essent? vindici quidem alienae dominationis, non
10 vicario, ecquis supplicat, ut optime meritis de re publica liceat esse salvus? ista vero
11 imbecillitas et desperatio, cuius culpa non magis in te residet quam in omnibus aliis, et
12 Caesarem in cupiditatem regni impulit et Antonio post interitum illius persuasit, ut
13 interfecti locum occupare conaretur, et nunc puerum istum extulit, ut tu iudicares
14 precibus esse impetrandam salutem talibus viris misericordiaque unius vix etiam nunc
15 viri tutos fore nos aut nulla alia re. quodsi Romanos nos esse meminissemus, non
16 audacius dominari cuperent postremi homines, quam id nos prohiberemus, neque magis
17 inritatus esset Antonius regno Caesaris quam ob eiusdem mortem deterritus.
18 Tu quidem, consularis et tantorum scelerum vindex, quibus oppressis vereor ne in breve
19 tempus dilata sit abs te perniciēs, qui potes intueri, quae gesseris, simul et ista vel
20 probare
21 vel ita demisse ac facile pati, ut probantis speciem habeas? quod autem tibi cum
22 Antonio
23 privatim odium? nempe quia postulabat haec, salutem ab se peti, precariam nos
24 incolumitatem habere, a quibus ipse libertatem accepisset, esse arbitrium suum de re
25 publica, quaerenda esse arma putasti, quibus dominari prohiberetur, scilicet ut illo
prohibito rogaremus alterum, qui se in eius locum reponi pateretur, an ut esset sui iuris
ac mancipii res publica? nisi forte non de servitute sed de condicione serviendi
recusatum
est a nobis.

II. Sprachliche Erläuterungen

- 1a) In welcher geschichtlichen Situation Roms ist dieser Brief geschrieben?
- 1b) Wer könnte sein Verfasser sein?
- 2) Erläutern Sie Begriffe wie **res publica**, **dominatio**, **salus populi Romani**.